

tem auctoritate apostolica tenore praesentium tribuimus et impertimur.

Datum Romae die 30. Maii 1792.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 220.)

Pius PP. VI.

Postulata interdum fuit a SS. Domino Nostro pro aliquo ex vicariis generalibus dioecesium regni Galliarum et pro aliis simplicibus sacerdotibus facultas consecrandi oleum infirmorum, oleum catechumenorum et sanctum chrisma extra tempora, eo quod deerat triplex oleum commemoratum et deerat pariter episcopus consecrator tum in dioecesi carente triplici oleo supradicto, tum in vicinis dioecibus legitimo pastore orbatis.

Huic petitioni satisfactum est sequentem in modum. Non expedire videlicet facultatem tribui simplicibus sacerdotibus consecrandi triplex oleum praememoratum, cum deprehensum fuerit insuetum esse in ecclesia latina huiusmodi potestate simplices presbyteros ab apostolica Sede insigniri, a qua quidem regula eo minus recedi non debere iudicatum est, quod impossibile non sit triplex oleum a catholico episcopo benedictum, si non ex proximis, ex remotis saltem dioecibus habere. Ne autem propter deficientiam sancti chrismatis et olei infirmorum carere cogantur fideles sacramentis tum confirmationis tum extremae unctionis, opportunum visum est monere vicarium generalem proponentem huiusmodi petitionem, muneris sui esse in luctuosissimis hisce temporibus curare, ut vel ex proximis vel saltem ex remotis regionibus in dioecesim, in qua ipse fungebatur munere vicarii generalis, transferetur citius ac fieri posset oleum infirmorum et sanctum chrisma: quod profecto deprehensum fuit non esse difficile, si debita cum cautione oleorum transportatio peragere-

tur. Iis autem habitis, ne in posterum deficerent, insinuatam ei fuit, ut praeculis haberet regulam, quae in rituali Romano praescribitur tit. 2 cap. 1 §. 23 = *Si deficere videantur vetera olea et chrisma aut oleum benedictum haberi non possit, aliud oleum de olivis non benedictum adjiciatur, sed in minori quantitate; neque praetermissum fuit eundem certiore reddere posse oleo benedicto adjungere non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim et in una quaque admixtione sit in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat qualitas major non benedicti; quemadmodum resolutum fuit a sacra congregatione Concilii die 23. Septembris anni 1682.*

Datum Romae die 28. Maii 1793.
(Bull. r. Continuatio t. IX. p. 314.)

c) In qua Ecclesia peragere debeat Episcopus Dioecesis unitarum?

Ad dubium: An ab Episcopo peragenda sint in civitate Tuscanen. Pontificalia, Ordinatio et Consecrationes ss. Oleorum saltem alternative?

S. C. C. resp.: Arbitrio et prudentia Episcopi et ad mentem, et mens est, quod scribatur Episcopo, decere interdum aliquas functiones pontif. peragere in Cath. Tuscanensi.

Die 11. Jan. 1783 ad 3. *Viterbien et Tuscan.*

Vd.: *Missae duae non sunt leg. ab uno Sacerdote eod. die, t. II. p. 133 incipiend. a verbis:*

Praeterea casum etc.

3) Graecorum.

Benedictus PP. XIV.

I. Non sunt cogendi presbyteri graeci olea s. praeter chrisma ab Episcopis

latinis Dioecesanis accipere, cum ejusmodi Olea ab eis in ipsa Oleorum et Sacramentorum exhibitione, ex veteri ritu, conficeantur seu benedicantur, nisi tamen contraria consuetudo introducta sit, quam servari volumus ac mandamus. Chrisma autem, quod non nisi ab Episcopo etiam juxta eorum ritum benedici potest, cogantur accipere.

II. Non audeant tamen ab Episcopis graecis externis schismat. seu S. R. E. communionem non habentibus illud accipere vel eo uti.

III. Idem abstineant chrisma accipere a quocunque alio Episcopo latino seu graeco cath. praeter suum Ordin. latinum, cujus jurisdictioni subjiuntur.

Datum Romae die 26. Maii 1742.

(Ex Bulla Bened. XIV. de dogm. et ritibus ab *Italo-Graecis* obtinendis. Bull. r. t. XVI. p. 96.)

Vd.: *Rit. graec.* (Constit. Bened. XIV.: *Etsi pastoralis etc.* §. IV.)

4) Stipendium pro Delatione et Distrib.

Episcopus civitatis Roderici exposuit recensendo abusus in sua Cathedr. repertos, quod Canonici petebant ab Ecclesiis parochialibus stipendium pro s. Oleis, quae portabant ad Ecclesias viri saeculares. S. C. resp.: Canonici debent se conformare cum ... Caer. Ep. et parere. n. 3552 ad 4 die 13. Mart. 1700.

Regularibus ss. olea ab Episcopis denegari non possunt. S. C. Ep. 2. Febr. 1599.

Imo Episcopi tenentur iisdem illud gratis dare. *Ibid.* 10. Novb. 1651; Clementis VIII. Constit.: *Exponi nobis etc.* Die 24. Mart. 1599.

In distributione ss. Oleorum non permittat Episcopus, ut aliquid recipiatur, non obstante consuetudine, quae dici debet abusus contrarius disposi-

tionibus ss. canonum. S. C. Ep. Die 6. Sept. 1604.

Parochi Ecclesiarum filiarum tenentur accedere ad recipiendum Oleum s. in die Sabb. s. ad matricem. S. C. C. 17. Novb. 1691.

Benedictus PP. XIV.

Nos statuimus et praecipimus, ut pro tempore existens Patriarcha Maronitarum ss. Olea gratis omnino transmittat sive distribuat et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cujuscunque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigit.

Datum Romae die 14. Febr. 1742.
(Bull. r. t. XVI. p. 68.)

Patriarcha Maronitarum pro tempore existens SS. Olea gratis omnino transmittat sive distribuat et nihil penitus vel pecuniae vel alterius cujuscunque rei etiam a sponte dantibus recipiat aut exigit.

(Bened. XIV. ad Patriarch. Maronit. diei 14. Febr. 1742; Bull. Bened. XIV. t. I. p. 118. Romae 1747.)

De ss. Oleis cf.: Unctio (oleum); Baptism. (oleum vetus.)

OLEUM SANCTUM.

1) In baptismo.

Vd.: *Baptismus* (oleum); *Unctio in Baptismo.*

2) In benedictione fontis.

Vd.: *Benedictio fontis* (oleum).

3) Pro cereo.

Vd.: *Lumina cum oleo; Reliquiae* (expos.); *Lampas* (ante Imag.); *Candela* (materia; decr. n. 5150).

4) Consecratio, Distributio.

Vd.: *Coena Dom.* (Olea s.); *Olea s.*

tentia discutienda immerer. Dato autem, quod in casu proposito infirmi periclitantis liceat Parocho per unam noctem vel partem noctis Sacrum Oleum domi retinere, ut promptius accurat ad illud morituro ministrandum, ex hac generalis regulae limitatione recta consequitur, ab regulae observantia sine urgentissima necessitate recedendum non esse proindeque illicitum fore unica tantum commoditatis ratione Sacrum Oleum domi retinere.

Quoniam vero in casu proposito agitur de consuetudine Parochorum, qui pro sua commoditate retinent sacrum Oleum, secus respondendum non erat quam *negative*, hoc est, consuetudinem esse reprobendam, damnandam et eliminandam. Scite tamen S. C. unam posuit limitationem exceptitque casum necessitatis magnae distantiae ab Ecclesia, sed simul consultum voluit honestae decentiae tutaeque custodiae, quemadmodum exigit Rubricae dispositio.

b) Usus.

In Congreg. gener. habita in conventu s. Mariae supra Minervam cor. EEm DD. S. R. E. Cardinalibus contra haereticam pravitatem generalibus inquisitoribus proposito dubio: An in casu necessitatis parochus ad validitatem Sacramenti Extr. unctionis uti possit oleo a se benedicto? iidem EE. decreverunt: *Negative* ad formam decreti fer. V. cor. SSmo. Die 13. Jan. 1611. Eadem die et feria SS. D. N. Gregorius PP. XVI. resolutionem EErum approbavit. Die 14. Sept. 1842.

Vd.: *Extrema Unctio* (Oleum).

6) Infusio in fontem baptism.

Vd.: *Baptismus* (oleum vetus); *Benedictio fontis* (oleum).

Ad dubium: an cum *solemnitate* infundi possint s. Olea Fonti baptismali,

cui non potuerunt infundi in vigilia Paschatis, cum tum necdum haberi potuissent? S. C. resp.: *Negative*. n. 4623 V. 3. die 16. Dec. 1826.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Ab hoc dubio me paucis expedit. Nam repetenda hic forent quae dicta jam sunt. Nulla enim ratio occurrit, quae posita queat adprobari solemnitas quoad infusionem sacrorum Oleorum in Fontem baptismalem, si eadem haberi nequiverunt Sabbato Sancto, dum sacra actio benedictionis aquae peracta fuit. Auctores liturgici agentes de hac oleorum infusione dilata ad aliam diem nullam solemnitatem memorant adhibendam, multoque minus locum sibi vindicare potest illa, de qua in dubio proposito. Sed quid opus est liturgicos Scriptores consulere, si expressam habemus S. R. C. declarationem in *Lucana ad dub. 3* hisce verbis conceptam: *An fas sit Parochis uti in collatione Sacramenti Baptismatis aqua in Ecclesia Matrice aut Plebanali benedicta, cui privatim et separatim et non in ipso actu benedictionis baptismalis Fontis fuerint infusa Olea sacra?* En responsum: *Parochi ex Matricis Fonte aquam, cui sacra Olea jam fuerint commixta, suscipere debent, quam adhibeant in Baptismi collatione. Qui vero ante Fontis benedictionem sacra olea recipere non potuerunt, illa subinde Privatim ac Separatim in aquam mittere poterunt.* Ita sub die 12. Aprilis 1755. Si *privatim* ex praefato responso sacra olea infundenda sunt, nonne eliminanda est quaelibet extrinseca solemnitas?

7) Mixtum.

Posse oleo benedicto adjungi non benedictum pluribus vicibus, ita ut oleum adjunctum consideratum separatim et in unaquaque admixtione sit

in minori quantitate quam oleum benedictum, quamvis consideratis omnibus additionibus simul fiat quantitas major non benedicti.

S. C. C. Die 23. Sept. 1682 (Resp. dat. ad quaest. 13.).

Cf.: *Collect. Brev. Pii VI.* tom. I. p. 336; *Extrema Unctio* (Oleum mixtum); *Olea s.* (Consecr., decr. Pii VI. 28. Maii 1793.)

8) Vetus.

Vd.: *Baptism.* (Oleum); *Coena D.* (Olea s.; distrib.; dies et obligatio); *Sacerdos* (SS. Confirmat. etc. decr. PP. Pii VI. de die 10. Apr. 1775; 26. Jan. 1796.).

S. ONUPHRIUS.

Si festum s. Onuphrii ante Bullam Pii V. celebrabatur cum Officio et Missa, potest continuari; si vero introductum est post Bullam, nullo modo permitendum est. S. R. C. 17. Novb. 1632.

OPERA SERVILIA.

(In dominica.)

Vd.: *Dominica* (licentia laborandi); *Vacatio ab operibus.*

ORATIO.

1) Conclusio.

Vd.: *Conclusio Orat.*; *Instr. Cl. §. XXIV*, n. 23—26. *De conclus. orat. in missa immac. cordis B. V. M.*, vd.: *Missale* (Correctio, dub. XVIII.). *De conclus. orat. missae fer. VI. p. Ciner.*, vd.: *Missale* (Correctio, n. II. A. 1.). *De conclus. II. Orationis in Sabb. s. ad Bened. font. positae ante praefat.*, vd.: *Ibid.* n. 4. *De conclus. Orat. missae Sabb. s.*, vd.: *Ibid.* n. 6. *De conclus. Orat. in Dom. Resurr.*, vd.: *Ibid.* C. n. 11. *De conclus. Orat. in Coll. Ordin.*, vd.: *Oratio in Ordin.*

2) Pro concordia.

In Oratione (sub diversis n. 9) pro concordia est (in Postcommun.) verbum „ejusdem“ delendum. S. R. C. 25. Sept. 1860. Cf.: *Missale* (Correctio F. n. 50).

3) Pro Defunctis.

Collectae pro def. non admittuntur nisi in missis festorum simplicium et ferialibus. n. 2345 ad 9 die 31. (Julii) 1665.

Mos, a die sepulturae defuncti, novem per dies missas celebrari et in oratione assignata a missali pro diebus 3, 7, et 30 addere a 2. die: diem secundum, tertium, quartum et sic de reliquis, ordinatim perveniendo ad nonum, contra missalis praeceptum, — est abusus, qui omnino tolli debet. n. 2811 ad 3 die 16. Jan. 1677.

In missa privata de Sancto semidupl. vel simpl. seu votiva vel de infra octavam, sive de feria non privileg., dici potest Collecta pro particulari defuncto, puta: *Inclina etc.* in *penultimo* loco, nec omittendam ullam ex collectis pro tempore assignatis. n. 3073 ad 6 die 2. Decb. 1684.

Vd.: *Indulg.* (Salutat.)

4) Ecclesiae.

Ad dubium: An in Missa, quando dicitur Oratio *A Cunctis* pro tertia Oratione ad libitum, vel quia imperata, possit poni Oratio *Ecclesiae Tuae*, quod circa finem in verbis cum prima pene concordat?

Et S. eadem C. ... respondendum censuit:

„Affirmative.“

Atque ita rescribere censuit et declarare.

N. 5152 ad 2 die 29. Martii 1851.

5) Pro Episcopo.

Vd.: *Reverentia erga Episcop.* (decr. n. 3551 ad 3); *Oratio pro Rege in Parasceve* (decr. n. 5101.).

In *Collectis* Sacerdotes non debent in Missis publice proferre nomen Ordinarium. n. 887 ad 1 die 7. Decb. 1630.

5) Infirmorum.

a) Asservatio.

Vd.: *Olea s.* (asservatio etc.); *Extrema unctio* (oleum; delat. ad infirmos.).

Sacerdotes curam animarum exercentes pro sua commoditate apud se in domibus suis retinent s. Oleum infirmorum. Quaeritur: an attenta consuetudine hanc praxim licite retinere valeant? S. C. resp.: Negative et servetur Rituale rom., excepto tamen casu magnae distantiae ab Ecclesia; quo in casu omnino servetur etiam domi rubrica quoad honestam et decentem tutamque custodiam servata. n. 4623 III. die 16. Decb. 1826.

NOTA GARDELL. AD HOC DECRETUM:

Accidit saepenumero, ut Ecclesiastici etiam viri, quin servent praescriptas leges consulantque decentiae quoad Sacramentalia resque sacras, propriae potius commoditati inserviant. Id profecto accidit in Gandavensi Dioecesi (*et utinam ibi dumtaxat*), ut Parochi, ne aliquid incommodi sentiant et accedere cogantur ad Ecclesiam, ubi Sacrum infirmorum Oleum servandum est, apud se in propriis domibus illud retineant. Equidem fateor Ritualis Romani Rubricam rigore locum non adsignare pro sacris custodiendis oleis, sed quod expresse non jubet, tacite tamen designatum intelligitur et ex contextis aliisque Rubricae locis declaratum videtur esse Ecclesiam. Vult enim, ut *haec vascula* (sacra olea continentia) *in loco proprio, honesto et mundo sub clave et tuta custodia asserventur etc.* Quis autem decentem, honestum et mundum locum extra Ecclesiam a Rubrica consideratum fuisse putabit? Praeterea, quod lex aperte non dicit, universalis omnium Ecclesiarum constans disciplina declarat.

Nam ubique Ecclesia locus est, in quo Sacra Olea asservantur; at varius est locus pro iisdem custodiendis. Ideo nonnullis in Ecclesiis consueverunt reponi in custodia prope Altare majus, sed seorsim ab illo; in aliis servabantur in custodia sacrarum rerum, quam Sacristiam sive Sacrarium et Secretarium vocant; in aliis tandem intra ipsum vel saltem prope Fontem baptismalem, ut in promptu sint Chrisma et Oleum Cathecumenorum, dum infantes baptizandi deferuntur. Quovis autem in loco ex memoratis Sacra Olea custodiantur, semper ac solempne cuique fuit summa cum reverentia eadem servare et custodire in Ecclesia. Et quoniam longe decentius esset adhibitis luminibus assidue ardentibus eadem asservari, propterea, ut plures monent hac de re Scriptores communisque est Ecclesiarum praxis, praestat post vel prope Altare, in quo reconditur Sanctissimum Sacramentum, Custodiam collocare; illae quippe, quae ratione SSmi Sacramenti ardent lampades, custodiendis etiam reverenter sacris oleis possunt inservire. In hoc tamen non insisto, quia, licet deceat lampadem ardere ubi sacra olea asservantur, decentia tamen minime secumfert obligationem et praecipuum. Haud praetereunda sunt, quae S. Carolus Borromaeus ecclesiasticae disciplinae post Tridentinum Concilium Restaurator et Assertor eximius quoad rem hanc sapienter constituit pro sua Mediolanensi Ecclesia. In III. Provinciali Concilio et praecise in capite de iis quae ad Sacramentalia et Sacramenta pertinent statutum lego: *ut sancti Chrismatis et sancti Cathecumenorum Olei* (idem intelligendum de altero infirmorum) *vascula non alibi sed in Ecclesia religiose adserventur in Ciborio aliove ejusdem Ecclesiae certe constituto loco, quem Episcopus comprobaverit.* Hoc autem Ciborium ne forte

accipias pro Tabernaculo, in quo Sanctissimum Sacramentum adservatur, sed intelligi debet pro Custodia separata, clave claudienda. Clare id patet ex alio ejusdem Provincialis Concilii loco, ex capite scilicet: *de iis quae ad SSimum Eucharistiae Sacramentum pertinent*, in quo statuitur: ut Tabernaculum pro sacra Eucharistia asservanda vacuum sit. En verba: *Omnino Sacra Eucharistia cum suo vase in eo dumtaxat servetur, aliud praeterea nihil.* Synodus etiam Ferrariensis expressius locum designat, in quo oleum infirmorum decenter et caute sit custodiendum: *Fenestrellam propriam atque ad hoc unice praeparatam habere debet sanctum Oleum infirmorum, quam nonnulli vocant Armarium, propria debet esse haec fenestrella in parte Ecclesiae ad cornu Evangelii, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia.* Atque id est universaliter receptum; et bene stat, quia frequenter accidit, ut dum Viaticum infirmo deferendum est, Oleum etiam infirmorum pro sacra unctione deferendum sit; quemadmodum expedit, ut prope baptismalem Fontem custodiantur cum Chrisma tum Oleum Cathecumenorum, quia adhiberi debent in sacro ministrando baptismate.

Quod si in Pontificali Romano praecipitur, ut juxta sacrorum Canonum dispositionem sacra olea custodiantur, utque Episcopus diligenter curet, ne Presbyteri in iis caute custodiendis negligentes sint: si Custodiae locus designatur vel in Ecclesia vel in Sacrarario: si eadem Custodia clave est claudenda, ne, ut praecipit Rituale Romanum, *ab aliquo nisi Sacerdote temere tangatur aut eis sacrilege quispiam abuti possit, ut nulli* (ita in Pontificali) *sub praetextu medicinae vel maleficii tradere praesumant*, fasne erit privata in sua domo ut Parochi

oleum infirmorum detineant? Si ita fiat, dicine poterit reverentiae et decentiae satis provisum? Dicine poterit sic custodire, ut nullum sit periculum, quod a laicis tangatur aut quod, absente Parocho, sacrilege aliquis illo abuti non possit?

Eoque magis, quia idem Rituale Romanum praecise agens de oleo infirmorum illud custodiri praecipit, *in loco nitido et decenter ornato*, ad quae verba notat Barruffaldus: *hoc oleum suum habere debet repositorium separatum a quocumque alio loco, nam neque in Fonte Baptismali neque in Tabernaculo neque in Reliquiarum Sacrarario custodia reponi debet.* Hujusmodi locum in Ecclesia ponit apteque distinguit ajens: *debet esse ... in pariete Ecclesiae ad cornu Evangelii Altaris majoris, seu in quo adsit Tabernaculum cum SSma Eucharistia ... ejus altitudo a terra sit quanta sufficiat ad commode eam* (fenestrellam, quae custodiam claudit) *aperiendam, sine ope vel scalae vel suppedanei ... ostiolum habeat ex ligno, quod bene claudat cum sera et clave ... et subtile literis majusculis haec verba legantur: Sanctum Oleum Infirmorum.*

Eritne igitur vel nunquam vel aliquando licitum sacrum oleum domi retinere? *Passerinus cap. 9. n. 102*, quem sequitur *Barbosa*, non bene agere putat Parochum dubitantem de nocte se fore pro infirmo periclitante vocandum, si vespere ferat oleum ad suum cubiculum, ut vocatus expeditior procedat: vel, si de nocte reversus ab administratione Sacramenti, oleum non reponat in consueta fenestrella seu reposito Ecclesiae, sed relineat in cubiculo usque mane: verumtamen gravis eum piaculi minime damnum putat, dummodo non adsit scandalum vel periculum irreverentiae. Mei Instituti ratio non fert, ut in hac sen-